

cemodi dissensiones, quamvis studiosius coeptas, fortunae increpent magisque in protegendis quam ad perdendos cives verum corrumpi patiantur. At iste¹³ delendarum cupidus factionum, quo deinceps mitius⁵ ageret, necessitudinem facti ulcisci maluit, ne paulatim spe veniae in labem publicam per coniurationes procederetur, ad quas vitio temporum animos <pro-[□] nos> intelligebat; neque ego abnuo ea delictorum, quae grassari immodice coeperint, plus paene quam¹⁰ severe excidenda esse. Felix ac prudens, armis prae-¹⁴ cipue; adeo, ut nullo congressu nisi victor discesserit auxeritque imperium subacto Persarum rege nomine Aggaro. Neque minus Arabas, simul adortus ut est,¹⁵ in dicionem redegit provinciae modo. Adiabena quo-¹⁶ que, ni terrarum macies despectaretur, in tributarios concessisset. Ob haec tanta Arabicum, Adiabenicum¹⁷ et Parthici cognomento patres dixere. His maiora¹⁸ aggressus Britanniam, quoad ea utilis erat, pulsus hostibus muro munivit per transversam insulam ducto²⁰ utrimque ad finem Oceani. Quin etiam Tripoli, cuius¹⁹ Lepti oppido oriebatur, bellicosae gentes submotae procul. Quae factu ardua facilius eo patrabantur, quo²⁰ implacabilis delictis strenuum quemque praemiis ex-[□] tollebat. Denique ne parva latrocinia quidem impu-²¹ nita patiebatur, in suos animadvertens magis, quod vitio ducum aut etiam per factionem fieri vir experiens intelligeret. Philosophiae, declamandi, cunctis²² postremo liberalium deditus studiis; idemque abs se